



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,
Et Charitate

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

3 An diuina reuelatio, quæ est obiectum formale fidei habeat omnimodam
certitudinem

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)

Regulariter ad recipiendam fidem plura concurrunt.

¶ Cum fides divina nitatur auctoritati Dei reuelantis, ut in competo est apud omnes; communiter Doctores conveniunt Deum reuelantem esse obiectum formale fidei, seu rationem; sub qua intellectus reuelatis assentitur, sic Dicitur Thom. 2. 1. quæst. 1. art. 1. Bannes, & Aragon ubi Valen. disput. 1. quæst. 1. punct. 1. §. 4. in princ. & alij plures, quos ipse refert, Agidius de Coninch. disp. 9. de fide, dub. 3. concl. 1. 2. 2. & dub. 4. conclus. 1. numero 1. Verum ut hæc definitio communis elatius innoteat, adfertur illam.

1 Obiocio primò, quia fides non videtur nisi posse diuinæ reuelationi, tanquam rationi formali ultimæ assentiendi: nam si rogeris quare credis Deum esse trinum, & unum? & respondeas, quia Deus reuelauit; & rursus interrogeris, unde cognoscas Deum sic reuelasse? debes ad propositionem Ecclesiæ recurrere, & respondere, quia sic tibi ab Ecclesiâ est positum: quod si tandem rogeris, unde scis Ecclesiam habere infallibilitatem in rebus præpositis? necessitò debes respondere, quia sic est à Deo reuelatum, in quo sanè circulum committis. Ergo non bene assignatur reuelatio diuina, seu Deus reuelans, pro ratione formali ultimæ, in quam fides diuina resoluitur.

Respondet, est diuina reuelatio tibi sit incitens, & obscura; ac esse potest ratio cognoscendi, tum alia, tum se ipsam, quia cum illorum cognitio non possit esse euidens, neque in reuelatione, tanquam in re euidenti intellectus acquiescere; ac quiescit in illa, tanquam in re omnino certa, obscurè cognita. Quando autem vgeris, unde cognoscis reuelasse Deum? respondere teneris id te cognoscere obscurè ex ipsamet reuelatione ab Ecclesiâ posita; ita ut propositio non sit ratio formalis assentiendi, sed conditio sine qua non diuinæ reuelationi assensum præberes, & sic vitatur circulus, & processus in infinitum.

Obiocio secundò, cum Deus Apostolis, vel Prophetis mysterium aliquod primo reuelauit, ipsi Apostoli, vel Prophetæ reuelato mysterio assensum præbuerunt fide diuina; quia illa reuelatio non fuit clara mysterij cognitio, sed obscura. At talis assensus diuinæ reuelationi non nititur; quia suppono illam reuelationem primam esse, quæ non potest esse, nisi ipsius obiectum. Ergo iam fidei diuinæ obiectum, non est diuina reuelatio.

Respondet actum illum reuelationis, quo primùm mysterio reuelato assentitur Prophetæ, non esse actum fidei, esse sit obscurus, ob rationem dictam; quia assentitur mysterio in se, & non vestigio reuelatione; reducitur tamen ad fidem ob eius obscuritatem. At si Prophetæ alio actu reflexo mysterio sibi reuelato credit, quia sibi est reuelatum, tunc actum fidei eliciet.

Tertiò obiocio. Reuelatio diuina ideo est infallibilis, quia Deus est summa sapientia, & bonitas, qui nec fallere, nec falli potest. Ergo in Deum, quatenus talis est, debet resolui notitæ fidei infallibilitas.

Respondet negando consequentiam. Aliud enim est, quærite, quare Deus sit infallibilis; & hoc fateor esse, quia est summe bonus, & sapiens: aliud autem quærite, cui rationi infallibilis fides diuina assentiatur, & hæc non est diuina bonitas, & sapientia; cum fides non assentiatur reuelatis, nisi quia à Deo reuelata sunt; suppono tamen reuelationem Dei esse omnino infallibilem, quia à Deo summe bono, & sapienti procedit.

Quartò obiocio. Plures sunt reuelationes singularibus personis factæ, quæ non videntur esse obiectum formale fidei, aliàs Ecclesiæ propositio necessaria non esset ad credendum.

Respondet omnes reuelationes esse obiectum formale fidei, quia nituntur auctoritati Dei, qui nec fallere, nec falli potest. Idem enim est, qui singularibus personis reuelat, ac qui reuelat Prophetis, Apostolis, &c. Ergo eadem est in omnibus reuelationibus auctoritas, & veritatis fundamentum; & ita tenet Vega libro 9. in Trident. cap. 3. Bellarm. libro 3. de iustificat. c. 3. Malder. 2. 1. quæst. 1. art. 1. sect. 5. Turria disput. 5. dub. 1. Agidius Coninch. disp. 9. de fide, dub. 6. num. 87. Thomas Sanchez lib. 2. in Decalog. cap. 7. n. 12. Ut tamen personæ, quibus non est facta reuelatio, eliciant actum fidei, indigent propositione Ecclesiæ, ut de illis moraliter constet: qua deficiente, esse ex se obiectum fidei sit reuelatio fidei, actus non valet terminare, sicuti ignis esse virtutem habeat producendi ignem; requirit tamen approximationem passo, tanquam conditionem, ut de facto ignem producat.

3 Sed inquitur an propositio Ecclesiæ, miracula & sanctitas fidelium, interent in obiectum formale fidei?

Requiri Ecclesiæ propositioem ad fidem ab omnibus in confesso est; iuxta illud ad Roman. 10. Quomodo credent ei, quem non viderunt: aut quomodo audient sine prædicantibus? tandem concludit: Ergo fides ex auditu, quæritur autem per verbum Christi. Et ratio est; quia de mysterijs reuelatis, & de ipsa reuelatione nobis aliunde constare non potest: ideoque Christus Dominus hoc medium instituit ad fidem propagandam.

4 Aduerto tamen hæc propositionem Ecclesiæ, quam diximus esse necessariam ad acceptandam fidem, non esse reuelationem aliquam, si forte daretur factam Ecclesiæ, vel Pontifici de veritate aliqua credenda, talis enim assensus, seu reuelatio non est ex fide, sed potius fidei obiectum constituit, & ad dogma prophetiæ pertinet, ut rectè extendit Valent. 2. 2. disp. 1. q. 1. punct. 1. §. 6. pag. 39. & 31. Sed propositionem Ecclesiæ dico esse illam manifestationem, qua Pontifex ex speciali Spiritus sancti assistentia manifestat, & proponit veritates aliquas iam Ecclesiæ reuelatas credendas fidelibus. Illa erga propositio, est conditio requisita ad fidem, non obiectum fidei.

Quod si dicas, illa manifestatio, & propositio est infallibilis. Ergo est obiectum fidei.

Respondet esse quidem infallibilem, & obiectum fidei non formale, sed materiale, sicuti quilibet alia veritas reuelata est obiectum materiale fidei non formale; formale autem solum est reuelatio, materiale quiddam reuelatum est; cum verò sit reuelatum propositionem Ecclesiæ esse infallibilem, iuxta illud dictum Petro, Ego pro te rogavi Petre, ut non dissuas fides tua, efficitur sanè infallibilitatem propositionis ad obiectum materiale fidei pertinere.

Aduerto secundò non esse necessarium ab omnibus æquè cognosci hæc Ecclesiæ propositionem. alij enim confusè, alij distinctius cognoscunt; rudibus enim hominibus simplex suorum maiorum propositio sufficit, atque adeo satis confusè, & implicite propositio Ecclesiæ representatur. sic Valent. supra, §. 6. fine.

5 Requiritur præterea regulariter ad credendum imò & ad fidem retinendam alia motiva, scilicet miracula, patientia martyrum, sanctitas fidelium, & similia; at non intrant in obiectum formale fidei, sic Valentia ex communi sententia supra §. 7. & 8. Priorem partem probos quia reuelatio, quam dicimus esse formale obiectum, & infallibilitatem propositionis Ecclesiæ, nobis obscura sunt, sicut & quilibet alius articulus. Ergo indiges, ut moueris ad credendum diuinæ reuelationi, & infallibilitati propositionis Ecclesiæ aliquibus rationibus, & moribus. Neque obinde fit in hæc motiva fidem resolui, quia hæc motiva non sunt obscura, sed clara, clarè enim cognoscitur sanctitas fidelium, & patientia martyrum. Ergo in rem claram, non poterat fides, quæ obscura est, resolui. Et præterea, quia per illa miracula Deus non loquitur, sed locuta confirmat. Ergo non sunt obiectum fidei, esto ad recipiendam fidem conducant. Quod aliunde confirmatur exemplo Samaritanorum in num. 4. qui ex dicto mulieris firmamur dixisse sibi Christum omnia, quæ acciderant, moti sunt ad fidem recipiendam.

PUNCTUM III.

An diuina reuelatio, quæ est obiectum formale fidei, habeat omnimodam certitudinem.

- 1 Proponitur dubitandi ratio.
2 Nonquam Deus potest alicui falsum manifestare.
3 Soluitur dubitandi ratio.

1 Ratio dubitandi est; quia non videtur repugnare Deum mouere intellectum creatum ad falsum aliquem assensum: cum quia assensus falsus non est peccatum: tum quia est quedam entitas physica, quæ à Deo causatur, & producit simul cum intellectu creato: tum quia inde non inferret Deum absolute mentiri; quia mentiri est dicere aliquid aliter, quam habetur in mente: at cum Deus falsum iudicium creato intellectui imprimeret, non diceret aliud, quam habetur in mentis; quia ipse non dicit: non enim per tale iudicium ipse Deus dicit, sed homo est, qui dicit, & loquitur. Ergo. Tum denique, quia fides esse potest causa saltem mediata assensus falsi, ut contingit in hoc articulo: Quidquid Deus reuelat, credi debet fide diuinæ sed Deus reuelat Christum non esse Deum. Ergo fide diuina credendum est non esse Deum. Ecce falsissimum conueniens illatum est vna propositione de fide, & aliter falsè. Ergo saltem mediata ad assensum falsum potest Deus concurrere.

2 Nilominus tenendum est tanquam omnino certum, Deum non solum de potentia ordinata, sed neque de potentia absoluta posse falsum alicui manifestare, & erroneum conceptum intellectui creato imprimere. sic D. Thomas 2. 2. quæst. 1. art. 3. & omnes eius expostores. Valent. punct. 2. conclus. 2. Valquez art. 3. conclus. 1. Coninch. disp. 10. dub. 1. conclus. 2. 5. & dub. 2. conclus. 1. & 3. Turria disp. 3. dub. 1. & 2. Conueniens duplici ratione probari potest. Prima & priori, quia Deus conuenit summa, & infinita auctoritas ad persuadendum, & eius dictis fides adhibetur: at si Deus fallere aliquem posset, non haberet summam, & infinitam auctoritatem, ad persuadendum, ut suis dictis fides adhiberetur; maior enim excogitari posset in eo, qui nullo modo fallere posset. Ergo. Secunda ratio à postè

DE
ASTRUC
VALAN
TON.

à posteriori est, quia inde sequeretur fidem nostram nullam firmitatem habere. Nam cum omnis eius firmitas in divina revelatione sita sit, si hæc falsa esse posset, quæ firmitas in fide haberetur? Vnde enim constare culibet posset in tali, vel tali revelatione vñm fuisse Deum iam omnipotentia, & falsum pro vero reuoluisse? Quapropter Scriptura ad Rom. 3. & Num. 23. aliter de Deo ac de homine loquitur; & de homine dicit esse mendacem, non quia omnis homo mentitur, sed quia potest mentiri; at de Deo econtra dicit esse veracem, hoc est, taliter veram esse, vt nequaquam mendacium, & falsum dicere posset; aliàs si mentiri posset, & fallere, æquè esset mendax, & fallax ac verax.

3 Neque obstat ratio dubitandi. Nego enim non implicare contradictionem. Et

Ad primam probationem admitto assensum falsum peccatum non esse, nego tamen mouere ad illum non esse peccatum, quia est contra rectam rationem; recta enim ratio dicitur neminem esse decipiendum, nisi deceptio permitti posset.

Ad secundam probationem dico, ex eo quod ipse Deus hominem deciperet mouendo ad assensum falsum, manifestè inferri mentiri, quia esto ille homo inieris loquatur per iudicium illud falsum: at ipse Deus exterius per tale iudicium loquitur, & ipsi Deo, tanquam auctori præcipuo tribuitur, & cum loquatur aliter, quam habet in suo diuino intellectu, mentitur; aliàs si Deus per reuelationes factas Prophetis non diceretur loquutus, falsò assereret Paulus ad Hebr. 1. *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens in Prophetis, nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio, &c.*

Ad tertiam probationem respondeo assensum fidei diuinæ causare assensum conclusionis falsum; non ratione sui, sed ratione falsæ præmissæ, quæ ei adiungitur, quia cum conclusio sequatur debiliorem partem, & vna ex præmissis falsa sit, ipsa potest in consequens falsitatem deriuare. Per se autem nullo modo causat assensus fidei conclusionem falsam, sed solum occasionaliter, sicut ait Coninch. *disput. 10. dubio 4. num. 82.* Si iaceres sagittam in scopum, & Petrus illam deflexerit, vt Ioannem occideret; occiso Ioannis non potest dici à te per te causata, sed potius à Petro, qui sagittam deflexit, sic in præfenti.

PUNCTUM IV.

Quod, qualisque sit obiectum materiale fidei.

O biectum materiale voco, quidquid fide diuina credendum est: credi autem debet, quidquid à Deo fuerit reuelatum. Quod tamen hoc sit, paucis explicabo.

§. I.

Sitne obscuritas de ratione obiecti fidei.

- 1 Hoc obiectum debet esse non visum.
- 2 Stante cognitione euidenti de aliquo obiecto, qui teneant te non posse de illo habere fidem.
- 3 Probabilis est oppositum.
- 4 Satisfit contrariis rationibus.

V I certa ab incertis separemus, certum est apud omnes Doctores Catholicos obiectum fidei, quatenus fidei est, esse non visum, id est, per fidem ipsam non videri, neque euidenter cognosci; constat ex Paulo ad Hebr. 11. ibi, *Fides, inquit, est sperandarum substantiarum rerum, argumentum non apparentium.* quæ sanè verba saltem in sensu formali vera esse debent. Item ad credendum fide diuina requiritur specialis motio Spiritus sancti, Trident. *sess. 6. cap. 6.* at ad credendum, & assentiendum obiectis euidentibus hæc motio non requiritur: ergo.

2 Quare difficultas solum est, an stante cognitione euidenti de aliquo obiecto possis illius habere fidem.

Plures Doctores negant, sic D. Thomas 2. 2. *quæst. 1. artic. 4. & 5.* & ibi Caietan, & Bannes, Scotus in 3. *dist. 24. quæst. vnicæ, §. ad questionem, in fine.* & §. si aliter loquamur. Rich. ibi qu. 5. Capreol. *dist. 2. quæst. vnicæ, art. 2. conclus. 1. & 2.* Mouentur primò, quia ea quæ euidenter cognoscuntur, absolute apparent; ergo cum fides sit non apparentium, vt ait Apost. esse non potest de euidentibus. Secundo de ratione fidei est, vt ita reuelatis assentiaris, vt possis eis dissentire, quia aliàs meritorius actus non esset: at si euidentiam illorum habes, dissentire nequaquam potes. Ergo fides cum euidentia compati non potest. Tertio scientia, & opinio de eodem obiecto non videntur esse posse simul, quia ne quis eodem obiecto cum formidine, & sine formidine assentiri, sed non minus pugnant euidentia, & in euidentia. Ergo fides cum euidentia esse non potest. Quarto ideo in Beatis non datur fides, quia Deum vident facie ad faciem, Ergo cum euidentia stare fides non potest.

3 Nihilominus probabilis existimo te credere posse fide diuina omnia illa mysteria, quorum euidentiam habes. atque adeò fidem cum scientia compati posse, sic Albertus Magnus in 3. *dist. 24. artic. 9.* & ibi Bonauent. *artic. 2. quæst. 3. Gabr. quæst. vnicæ, artic. 2. conclus. 3.* Valentia alios referens *tom. 3. disp. 1. quæst. 1. punct. 4. pag. 64.* Suarez *tom. 2. in 3. part. disp. 19. sect. 2. in fine.* Coninch. *de fide, disput. 11. dub. 1. conclus. 2. n. 15.* Ratio est, quia plura proponuntur credenda fide diuina, quorum euidentiam habere potes, videlicet Deum esse vnum, esse sapientem, esse fidelem, & potentem promissa adimplere, & similia: sed ex horum cognitione euidenti impediri non potest fidei exercitium, aliàs deterioris esset conditionis homo doctus indocto. Ergo. Minorem probo. Nam accedentibus ad Deum, siue doctis, siue indoctis, proponitur fide diuina credendum; quia est, & quia inquirentibus se remunerator sit, ad Hebr. 11. Sed posset contingere, quod saltem de esse Dei quis euidentiam habeat. Ergo talis euidentia obesse ei non potest, quod minus fide diuina id ipsum credat.

4 Non obstant argumenta opposita. Concedo ea, quæ euidenter cognoscuntur esse apparentia non vnde quæque, sed ex vi illius cognitionis, quæ euidenter cognoscuntur, quoniam autem cognoscuntur ex alia obiecta, & in euidentia, apparentia non sunt. Quocirca cum Apostolus dicit fidem esse argumentum non apparentium, intelligendum est formaliter, hoc est, esse argumentum non apparentium ex vi talis cognitionis, & secundum rationem, quæ ipsa nititur: & in hoc sensu explicandus est Augustinus *tractatu 40. in Ioannem*, vbi dicit. Quid est fides, nisi credere, quod non vides? Fides est, quod non vides, credere, veritas, quod credidisti, videte. & *tract. 79. in Ioannem*, hæc est laus fidei; si quod creditur, non videtur; intelligendus enim est formaliter, & ex vi rationis, quia ipsa fides nititur. Similiter etiam explicandus est Gregorius *hæm. 1. 6. in Euang.* cum dicit, neque fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum; non habet, inquam, meritum ex experimento; sed ex reuelatione, quæ nititur.

Ad secundum nego de ratione fidei esse, vt possis reuelatis dissentire absolute. Sufficient, si possis eis dissentire ex vi illius rationis, quæ ipsa fides nititur. Item ad libertatem, & meritum non requiritur potentia ad dissentiendum; sufficient, si potentiam habes ad non assentiendum, vt rectè expieuit Coninch. *disp. 13. dub. 4. num. 38.*

Ad tertium nego scientiam, & opinionem simul esse non posse: cum enim sub diuersa ratione procedant, nulla inuenitur repugnantia. Quod autem ex Durand. notat Valentia 2. 2. *disput. 1. quæst. 1. punct. 4. §. ac potest, pag. 66.* scilicet assensum opinatiuum, & scientificum, & assensum scientificum, & supernaturalem fidei sola ratione differre, mihi non probatur: sicuti neque Suarez *disputatione 3. de fide, §. in fine 9. à numero 7.* Non enim intelligere possim, quæ ratione idem assensus possit falsò subesse, & non subesse, & esse euidentem, & euidentia carere, et si sub diuersa ratione feratur. Adde si realiter idem esset assensus opinatiuus, & scientificus, & assensus scientificus, & fidei diuinæ; assensus opinatiuus rationem formalem obiectiuam fidei attingeret, quia necessaria esset illius cognitio. Ergo implicat esse opinatiuum, hoc est, de se incertum, cum diuino testimonio nitatur, et si simul nitatur ratione humano.

Ad quartum dico in Beatis non dari fidem, quia loco fidei supernaturale lumen gloriæ succedit, quod nequaquam contingit vicariis. Adde in hac vita solum posse euidentiam haberi de aliquibus obiectis, quæ per fidem diuinam creduntur, non de omnibus. Ergo erat necessaria fides tum pro illis, quæ naturali lumine cognosci non possunt, tum etiam pro illis, quæ per euidentiam cognoscuntur, vt illorum cognitio meritoria sit.

§. II.

Sitne obiectum fidei euidenter credibile.

- 1 Variis rationibus probatur obiectum fidei esse euidenter credibile.
- 2 Proponuntur varia obiecta, & si illis satis.
- 3 Non est necessarium, vt quis fide diuina credat cognoscere euidenter fidei credibilitatem.

L icet obiectum fidei obscurum sit, & in euidentia: at esse euidenter credibile mihi indubitatim est. Vicariis rationibus hæc veritas comprobatur à Doctoribus. Iam eas congerit Valent. *disput. 1. quæst. 1. punct. 4.* Bannes *artic. 4. dub. 4.* Coninch. *disput. 11. de fide, dub. 3.* Præcipua est, quæ sumitur, tum ex prophetia, tum ex miraculis; tum ex stabilitate religionis, tum ex sanctitate eorum, qui eam profitentur. Et primo ex prophetia non leue argumentum sumitur esse euidenter credibile non firmitatem, siquidem multis antea sæculis pronuntiata iust à Prophetis, quæ Christo conuerterent, vt rectè expendit Prosper. *lib. de prædicationibus, & pronuntiationibus Patriarcharum, & Euseb. Cæsariensis, in lib. de Euangeliis, demonstrat. Augustinus libro 18. de*